

FR. RAGVELLI

MAGDVNI BITVRIGVM

PRÆSIDIS VICARIUM

ACADEMIA BITVRICENSI

IURIS DOCTORIS CELEBRARIMI

COMMENTARIVS,

AD CONSTITVTIONES ET DECISIONES

IUSTINIANI QUÆ XII. LIBRIS

Codicis continentur;

E. T.

AD PRIORES TITVLOS LIBRI VIII. COD.

*In quo præter insignem Iuris veteris enucleationem, ac perspicuam
antinomiarum solutionem: Ius Pontificium, & celebriores Pra-
xis Francicæ, Legumque Municipalium quæstiones passim deci-
duntur: singulisq; Decisionum capitibus Iuris Gallici cum Roma-
na Iurisprudentia collatio adnectitur.*

Cum II. INDICIBVS, quorum prior legum, alter rerum verborum-
que copiosissimus: & CHRONOLOGIA, in qua continetur
quas quibus annis leges & quos Iuris libros promul-
garit. IUSTINIANVS.

Num. 48. cap. 8.

Num. . . 9.




PARISIIS,

E Typographiâ PETRI CHEVALLERII,
in Monte Diui Hilarij.

cl3 100 x.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



FRANCISCI RAGVELLI

I C. IN ACADEMIA BITVRICENSI

ANTECESSORIS CELEBERRIMI

COMMENTARIVS,

Ad Constitutiones & Decisiones Iustiniani quæ XII.
libris Codicis continentur.

P R Æ F A T I O.

HVIT IVSTINIANVS ILLITE-
ratus quidem, sed magnanimus & Augustus
Princeps, qui & Callinicus dictus & Ma-
gnus appellatus: Imperavit per annos ferè tri-
ginta nouem: vixit circiter octoginta quatuor, semper pacis
& orthodoxæ fidei studiosus. Veterem Romani Imperij
gloriam mirum in modum ampliauit, in Imperij administra-
tione vsus strenua opera Bellisarij fortissimi ducis in rebus
bellicis, in Oriente nempe Persis fuis fugatisque, quos intra
suos fines continuit: In Africa Vandalis deuictis capto eorum
rege Gelimere: in Italia & Sicilia Gothis superatis capto
etiam Vitigide: & postea à Narsete egregio belli duce, Totila
alio Gothorum rege interfecto, & Gothico nomine deleto:
in ipsa etiam vrbe Constantinopolitana extincta seditioe
Prasinorum & Venetorum, quæ fullonia erant & colorum
nomina: impia factio aduersus Christianos & rem publicam,
quæ hanc tesseram habuit, vince. Domi autem Iustinianus
iam statim à secundo Imperij sui anno in iure condendo & in



AD CONSTITVTIONEM IVSTINIANI DE NOVO CODICE FACIENDO.



SCRIPTA est hæc constitutio secundo anno Imperij ad Senatum Constantinopolitanum, ad quem etiam Constitutio de emendatione Codicis, & illa quæ de caducis tollendis. & l. ult. de locato. & l. ult. de iure deliberan. l. 21. de agricolis. l. 2. de veteri iure enucleando, & aliæ quædam de rebus grauioribus. Refert autem hunc Codicem suum collectum & compositum esse ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano: & ex nouellis constitutionibus Theodosij iunioris aliorumque principum qui cum secuti sunt, nimirum Valentiniani, Martiani, Leonis, Maioriani, Seueri, Anthemij, quarum pleræque hodie exstant. Gregoriani Codicis auctor fuit iuris studiosus quidam, non princeps ullus: Hermogeniani verò conditor videtur fuisse Hermogenianus Iurisconsultus, non Hermogenes. At Theodosianus codex certum auctorem habet, nempe Imperatorem Theodosium Juniorem: ex hoc Codice Sigebertus de Scriptoribus ecclesiasticis ait Anianum virum spectabilem iubente Alarico Gothorum rege volumen vnum edidisse: quod breuiarium nondum integrum prodit in lucem, nec est ipsum corpus Theodosiani Codicis, cuius ordinem compositores in hoc Codice Iustiniano secuti non sunt, atque in hunc Codicem inseruerunt Iustiniani ipsius constitutiones, & Iustini qui Iustinianum adoptauerat, & Anastasij, & Zenonis Isaurici. Postea Iustinianus proponit nomina eorum, quorum opera & industria vsus est in hoc Codice colligendo, qui numero sunt decem, adscriptis eorum dignitatibus. Primus nominatur Ioannes quem vocat Exquæstorem, quoniam quæstura sacri palatij functus fuerat. Marcus Tullius Quæstorium vocat eum qui Quæsturam ærarij, vel pecuniæ publicæ gesserat: At Iustiniano Quæstor est μέγας λογοθέτης, nobis Cancellarius. Et Consularem vocat quia Consulatum gesserat: Consularis ὑπατικός dicitur: Eundemque vocat Patricium cum esset Principis consiliarius & quasi pater: Patricius etiam dicitur Ἐπιτοκιστής & ἐὺγενής. Hic Ioannes postea fuit præfectus præ-

CHRONOLOGIA ANNORVM

ET CONSVLVM AC INDICTIONVM
IMPERII IUSTINIANI. IN QVA CONTINETVR

quas, quibus annis, leges & quos iuris libros
promulgarit, aut composuerit. ANTONIO
CONTIO C. I. auctore.

<i>Anni Christi</i>	<i>An. Im. Iustini.</i>	<i>Consules</i>	<i>Indict.</i>	<i>Gesta.</i>
527. <i>Sigebert. Chronic.</i>	1	Mauortio V. C. solo in Occiden te.		I ndictione quinta moritur Iustinus Im- perator mense Augusto, cum iam ante quartum, id est kalendis Aprilis Iustinianus declaratus esset Augustus ab eodem Iustino patre adoptiuo & auunculo. Hæc ex Mar- cellino, Nicephoro lib. Fedes hist. 17. c. 7. & notitia quadam manuscripta, & Nouella VII. vi præponatur nomen Imperatoris do- cumentis, excerpti. Extremo hęc anno terræ motu concussam ciuitatem Antiochenam reparat Iustinianus, & Theopolim vocat, propter hanc inscrip- tionem, CHRISTVS NOBISCVM STAT, qua in singularum ædium eius- dem ciuitatis valis affixa, sedatus est terræ motus, Niceph. lib. 17. c. 3.
528	2	Iustiniano A. 11. & solo.	6	Hoc anno Iustinianus cepit componen- do & emendando iuri operam dare, & prio- rem suum Codicem fieri mandauit l. 1. de nouo Cod. fac. Idib. Februar.
529	3	Decio V. C. solo in Oc- cidente.	7	Editur prior Codex Idib. April 1. Cod. de Iustinia. Cod. cons. vbi nominatur septi- ma Indictio.
530	4	Lampadio & Oreste VV. CC. in Occidente.	8	Mense Decembri mandat Iustinianus Di- gesta componi. Hoc anno edita est l. 18 & 19. Cod. de episc. aud. l. 14. C. de heret. & aliæ numerozæ.
531	5	Post Consu- larum Lam- padij & Orestis.	9	Digesta componuntur. Hoc anno lata est l. vlt. C. de episcopal. audientia. l. penul- t. de heret. & aliæ numerozæ.
532	6	Post Consu- larum Lam- & Orestis anno II.	10	Digesta componuntur. Hoc anno lata est l. vlt. Cod. de heret. l. vlt. C. de reptid. hered. l. vltim. Cod. ad l. Iul. de adulter. & aliæ multæ.

Hoc an. edita
l. 17. C. de episc.
aud. & aliæ
multæ.

Hoc ann. lata
est l. vlt. Cod.
de legib. & aliæ
multæ.